BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

BT 2023

AELI DONATI QVOD FERTVR COMMENTVM AD ANDRIAM TERENTI

EDIDIT ET APPARATV CRITICO INSTRVXIT

CARMELA CIOFFI

DE GRUYTER

ISBN 978-3-11-051509-1
e-ISBN (PDF) 978-3-11-051540-4
ISSN 1864-399X

Library of Congress Cataloging-in-Publication Data
A CIP catalogue record for this book has been applied for at the Library of Congress.

Bibliographic information published by the Deutsche Nationalbibliothek
The Deutsche Nationalbibliothek lists this publication in the Deutsche Nationalbibliografie;
detailed bibliographic data are available on the Internet at http://dnb.dnb.de.

Printing: Hubert & Co. GmbH & Co. KG, Göttingen
♾ Printed on acid-free paper

Printed in Germany

www.degruyter.com

MAGISTRIS OMNIBVS
CARISSIMISQVE PARENTIBVS MEIS

HOC LIBRO CONTINENTVR

PRAEFATIO

Anni peracti plus quam C ab eo tempore sunt, quo primum Aeli Donati Commentum in Terenti comoedias critice editum est a Paulo Wessnero.[1]

Postea, cum insignis codex Vaticanus Chisianus H VII 240 (= K)[2] inuentus sit et nouae eruditorum disputationes,[3] quae praecipue ad codicum recensionem et ad Donati exegeticam artem attinent,[4] in lucem prodierint, quis dubitare potest quin noua editio, magni scilicet momenti opus magnaeque molis, proponenda optandaque sit?

Paucis hoc loco uerbis non modo stemmatum lineamenta codicumque necessitudines explanabo, sed etiam quam uiam et rationem adhibere mihi uisum sit ad huiusmodi opus edendum; separatis uero curis, nempe Prolegomenis criticoque commentario instructo, fusius dicam quae singulis codicum familiis uel immo quae cuique codicum ipsorum indoles sit – exceptis illis qui, maiore auctoritate pollentes, intentius iam alibi ueluti propriis tractationibus singillatim commendati sunt[5] –, quibus praeterea

1 P. Wessner, *Aeli Donati quod fertur Commentum Terentii...*, Lipsiae 1902–1905.

2 De quo uide: M. Warren, *On five new Manuscripts of the Commentary of Donatus to Terence*, Harvard Studies in Classical Philology 17, 1906, 31–42; O. Zwierlein, *Der Terenzkommentar des Donat im codex Chigianus H VII 240*, Berolini 1970.

3 Huius nouae editionis fundamenta praecipua iure facienda erunt quae post Wessner et Zwierlein diligentissime M. D. Reeve posuit; confer praesertim: M. D. Reeve, *The Textual Tradition of Donatus' Commentary on Terence,* Hermes 106, 1978, 608–618; id., *The Textual Tradition of Donatus' Commentary on Terence,* Classical Philology 74, 1979, 310–326; id., *Commentary on Terence,* in L. D. Reynolds, *Texts and Transmission. A Survey of the Latin Classics*, Oxonii 1983, 153–156.

4 Praecipue R. Jakobi, *Die Kunst der Exegese im Terenzkommentar des Donat*, Berolini 1996.

5 C. Cioffi, *Ricerche sulla tradizione manoscritta del Commento di Donato a Terenzio,* Materiali e discussioni 69, 2012, 145–186; ead., *Il codice Parisinus lat. 7899 e il Commentum di Donato a Terenzio,* Materiali e discussioni 70, 2013, 101–132; ead., *Un problema stemmatico: il Vaticanus Regin.*

uiis Graeca ad nos peruenerint quibusue libris seruata, qui denique antiquis editionibus fontes habitusque peculiares. Critico item commentario significabitur quibus locis Donati tradita uerba emendanda sint.

* * *

Omnes qui exstant codices ab uno et eodem archetypo deriuatos esse mihi quidem pro certo habendum uidetur, licet perdocti uiri duo[6], Kauer inquam et Lindsay, extra archetypi progeniem testes P (Parisinum Lat. 7899) et D (Victorianum) collocauerint. Cum autem de Parisino iam separatim tractauerim,[7] contra argumenta quibus usus Lindsay contendit pauca illa in D seruata scholia collato ω textu praestantiora apparere, satis habeas quae P. Wessner[8] scripsit considerare, excepta Victoriani lectione ad *An.* 720 (*dolorem*/*laborem*), de qua uiro doctissimo J. N. Grant lectorem commendo[9] ac in Prolegomenis meis doceo.

ω Quaestio sequitur de origine et aetate archetypi ω, de quibus difficile est certas proferre sententias. Teste Hieronymo discipulo curauit Donatus Terenti fabulas ut ueterum philologorum scriptis fultus explicaret.[10] Ut uero Zetzel ostendit,[11] Donati Commentum olim continuum ignotis manibus in frustula discerptum est, quibus repleti librorum Terenti margines scholia receperunt grauiter planeque mutata: uerba quaedam addita sunt, quaedam alia deleta aut alio loco rescripta uel quoquo modo adulterata. Postea disiecta

Lat. 1595 (B) e la tradizione donatiana, Materiali e discussioni 73, 2014, 113–136; ead., *Riconoscere la contaminazione*, Hermes 143, 2015, 356–378.

6 R. Kauer, *Zu Donat*, Wiener Studien 33, 1911, 144–154 et 323–335; M. Lindsay, *The Donatus-Extracts in the Codex Victorianus (D) of Terence*, The Classical Quarterly 21, 1927, 188–194.

7 C. Cioffi, *op. cit.*, 2013, 101–132.

8 P. Wessner, *Zu den Donatauszügen im Cod. Victorianus (D) des Terenz,* Philologische Wochenschrift 47, 1927, 443–448.

9 J. N. Grant, *Studies in the Textual Tradition of Terence,* Londonii 1986, 67–68.

10 *Contra Rufinum* 1, 16.

11 J. E. G. Zetzel, *On the History of Latin Scholia*, Harvard Studies in Classical Philology 79, 1975, 335–354.

Commenti membra compilator quidam ita collegit, ut continuum rursus opus fieret: e pluribus denuo unum, at quantum mutatum ab illo! Hinc, deperdita in *Hautontimorumenon* explanatione, archetypum nostrum credo descendisse, quod omnibus consideratis exeunte saeculo VIII uel ineunte IX uerisimile uidetur esse exaratum.[12]

Cum autem critici ueteres, recentiumque perpauci, propriis iudiciis conati sint ea quae supersint scholia a temporis uulneribus uindicare atque praecipue a recentioribus additamentis purgare, textum Donati ut ita dicam uerum uanis temptamentis sectari nolui: censui enim ne ultra archetypum pergerem. Verba tibi, lector, ualeant quae Michael Reeve lepide ac luculente scripsit:[13]

> That the latter (sc. commentary) is at best an adaptation of the former, demonstrated by Parrhasius, has annoyed Terentian scholars more than it would have annoyed Donatus himself, who knew the usefulness of scissors and paste. For an editor it sets two tasks of reconstruction, the second impossible. The first task, reconstructing the archetype of the extant witnesses, is difficult enough [...] Then comes the impossible task, reconstructing the original commentary.

* * *

Quod ad *Andriam* pertinet, libri qui supersunt manu scripti a duobus deperditis exemplaribus descendunt, quorum prius Maguntinum nuncupatum, ab illo loco ubi Aurispa duce inuentum est anno sancti concilii Basiliensis (*sc.* 1433), alterum autem Carnotense, auspiciis eiusdem anno 1447 repertum. Hoc, ex Reeuiana

12 Ex plurima commentationum congerie uide praecipue: H. Usener, *Vier lateinische Grammatiker, III: Evanthius von Constantinopel*, Rheinisches Museum 23, 1868, 493–496; E. Löfstedt, *Die Bembinusscholien und Donatus*, Eranos 12, 1912, 43–63; P. Wessner, *op. cit.* 1902, XLV; R. Grant, *op. cit.* 1986, 60–96. Qua scriptura ω exaratum sit, notitiam praebet C. H. Beeson, *The text tradition of Donatus' Commentary on Terence*, Classical Philology 17, 1922, 283–305.

13 M. D. Reeve, *op. cit.*, 1983, 153 et 156.

sententia[14], fuisse uidetur exemplar a quo codex originem traxit
K iam supra memoratus Chisianus H VII 24, circa medium saeculum XV exaratus;[15] ut uere dicam, tantummodo in secunda Commenti sectione haec tribui potest origo: nam Donatianam expositionem M. Reeve monstrauit in octo posse diuidi partes et pro certo habuit Chisianum librum non deriuasse nisi in secunda a Carnotensi codice.

Ex omnibus testibus pauci sunt qui antiquitate insignes sint:
P Parisini uidelicet Lat. 7899 (P),[16] exeunte saeculo X exaratus, et
A Lat. 7920 (A), qui recte XI saeculo tribuitur, ubi *Andriae* et *Adelphorum* usque ad uersum 65 (sch. 40.2) explanationes legi possunt.[17]

Duobus istis, AP scilicet, libris, quibus K accedere patet, com-
Γ munem fuisse progenitorem (cui notam Γ damus) iam pridem demonstratum est, artiore tamen uinculo, nisi fallor, K et P cohaerentibus; qua re liceat mihi selectos tantum errores hoc loco tibi ostendere: *An.* 148.2; *An.* 199.1; *An.* 236.4; *An.* 88.2; *An.* 212.1; *An.* 235.[18]

Scholia tamen quae P tradit optima, iratis nempe dis, rarescunt in huius libri marginibus ineunte actus primi scaena quinta, quoad omnino euanescunt. Item ex Γ Donatianus codicis miscellanei Va-
B ticani Reginensis Lat. 1595 (B) textus profluit, qui post *An.* 320.3 initium capit. Cuius libri quamuis difficilis cognatio sit diiudicatu, erroribus aliquot illud mihi persuasum est: artiore B uinculo cum A illigari.[19]

Ad Maguntinum exemplar referendae sunt duae codicum
Σ Θ factiones, quarum consensum nota Σ expressi. Una, littera Θ signata,[20] testes pleniores comprehendit quattuor: cod. Oxon. Bodl.
C T Canon. Lat. 95 (C), cod. Vatic. Lat. 2905 (T), cod. Florent. Marucell.
F q C 224 (F), cod. Mediolan. Ambros. T 114 (q). Certus cum Θ nexus usque ad *Andriam* 79.1 codicum manipulum μ adstringit, qui sunt μ

14 M. D. Reeve, *op. cit.* 1979, 313–315. De octo sectionibus confer M. D. Reeve, *op. cit.* 1979, 311 et 320.
15 Vide etiam O. Zwierlein, *op. cit.*, 1970, 5–8.
16 Cf. R. Kauer, *op. cit.,* 1911, 144–145.
17 De codicum descriptione confer P. Wessner, *op. cit.*, 1902, VII–XXIV.
18 Cf. n. 7.
19 Cf. C. Cioffi, *op. cit.*, 2014, 113–136.
20 Eam notam ante me M. D. Reeve, ut alias plures, usurpauit.

O a m n Oxon. Lincoln. Lat. 45 (O), Florent. Laur. 53.9 (a),[21] Laur 53.8 (m), Vatic. Ottob. lat. 2070 (n). Quas familias, ubi lectiones congruunt, ambas sub nota δ indicaui; hanc tamen cum breuissima commentarii portio adhibere concedat, moneo ne usquam a Θ penitus discrepare putes: qua igitur littera frequentius me usuram profiteor etiam ubi δ uti licuerit. δ

Altera uero factio, quae Maguntino e fonte hausit, Λ nomine, uiginti fere codices comprehendit, quibus, lector, cauere te uelim ne fidem habeas: grauem enim atque assiduam contaminationem perpessus scatet textus corruptelis compluribus uitiatus multiplicisque originis additamentis. Cum Λ conspirare manipulum μ inde ab *An.* 79.1 inuenimus, quo fere loco, uel potius paulo post, a societate desciscit testis a. Λ

Duplicem Maguntini stirpem si intentius consideraueris, tanta reuerentia dignum esse Θ consentias quantam ei iam pridem R. Sabbadini tribuerit: nam ab illo exemplari non multum distat, cum descriptus sit antequam Carnotensis inueniretur. Extat in codice C ante *Phormionis* expositionem epistula Petri Candidi Decembrii Francisco Pizolpasso anno 1436 mense Iunio missa, qua edocemur Candidum Pizolpassi iussu Donati Commentum transcribere coepisse multa cum difficultate “ob barbariem ueteris scripturae” et “cariem uetusti operis”:[22]

> Nihil est enim tam arduum tam obstrusum, quod labori obstet intenso. Quid enim his commentariis scriptum fallacius, quid ineptius? Et tamen litterarum amor me cogit elicere quod paternitati tuae utile atque iocundum futurum putem. Scio quamplurimos lecturos ea quae ad te mitto nec secus reprehensuros barbariem quandam ueteris scripturae et modo litterarum apices modo imperfectos rerum sensus derisuros, quasi haec meae culpa sit negligentiae.

Ex uirorum doctorum studiis suspicari licet uetustum illud exemplar, de cuius apographo Candidus in multos questus sese profu-

21 Aperte dicam: dum manipulus μ e δ pendet, haud desunt indicia quibus a codicem ab O descriptum esse constet.

22 R. Sabbadini, *Storia e critica di alcuni testi latini. Donato terenziano*, Museo italiano 3, 1890, 406–407. Eandem epistulam eodem loco et F tradit.

dit, idem ac Maguntinum esse.[23] Quae cum ita sint, haud longe ab illustri exemplari remotum Θ habendum utique est, cuius praecipua suboles sit C. Quod ipse codex C multis correctionibus plurium manuum conspersus sit, id facile intellectu est. Tempus et operam, qua discernere contendi quot manibus C exaratus esset, in cassum isse ingenue fateor; nam arduum est iudicare primusne correctionum cumulus, quem sub nota C^2 indicaui, ab eadem manu profectus exstet, quae textum ipsum transcripserit. Quapropter, lector, caue ne credas me C et C^2 notis usam manus dissimiles indicare uelle! Nam notaculo numerali quasi apice posito utor ad illam textus transcriptionem uel retractationem indicandam quae paulo post C est noue peracta.[24]

C^2

Reliqui a Θ oriundi codices cum C consentire iam correcto (C^2) paene uidentur potius quam cum pristina librarii ipsius scriptura. His casibus examinatis, cum a C siue nondum emendato siue correcto TFq[25] describi nequissent, mihi tandem persuasi communem Θ parentem tamquam mobilem, ut aiunt, nobis effingendum esse: e quo fonte iam emendato ille corrector C^2 denuo hausit (quamuis

23 De Maguntino ipso eiusque apographis atque de epistularum interpretatione quaestiones perualde uexatae sunt; cf. K. Dziatzko, *Beiträge zur Kritik des nach Aelius Donatus benannten Terenzcommentars*, Jahrbücher für classische Philologie 10, suppl., 1879, 691sq.; P. Wessner, *Die Überlieferung von Aeli Donati Commentum Terentii*, Rheinisches Museum 52, 1897, 73–75; R. Sabbadini, *op. cit.*, 1890, 381–452; id., *Storia e critica di testi latini*, Catanae 1914 (1971²), 214sq.; id., *Il carteggio di Giovanni Aurispa*, Romae 1931; S. Rizzo, *Il lessico filologico degli umanisti*, Romae 1973, 108, 212, 319; A. Sottili, *Una corrispondenza epistolare tra Ambrogio Traversari e l'arcivescovo Pizolpasso*, in: G. C. Ganfagnini, *Antonio Traversari nel VI Centenario della nascita*, Florentiae 1988, 287–328. Factionis Θ utrum totus Donatianus textus an solus *Phormio* a Maguntino codice deriuatus sit dubitat Sottili, cf. id., *op. cit.*, 314sq. De his rebus accuratius in Prolegomenis a me dictum est.

24 In codice C additur ante uacuum spatium littera "g" ubicumque Graeca omittuntur, tamquam defectum indicans. Id mihi in instruendo critico apparatu tacere oportunum uisum est.

25 Codicis q prior tantum manus in apparatu laudatur, nam usque ad *An.* 552.3, id est ea parte qua q a Θ deriuatur, multa in ipso textu manus altera nouauit, quae quidem ab aliquo stirpis Λ exemplari pendent ideoque pro nihilo ducenda sunt.

aliquot bonae coniecturae non desint operae acuti ingenii tribuendae).

Qua de causa, perdiu dubitaui an oporteret in apparatu lectiones commemorari in ipso C codicis textu seruatas etiam singulares (contra consuetudinem meam, cf. infra); eius enim errores ueriorem nobis notitiam de ueteris illius exemplaris *Maguntini* statu praebere possunt, cum codices TFq et C^2 ab eodem parente Θ iam maxima ex parte correcto ac coniecturis conferto descendant.

Etiamsi, cum Λ facta comparatione, exemplar Θ maiore fide dignum uidetur, aliquot tamen inueniri possunt lectiones quas haud false suspiceris diuinationi deberi, uelut hae: *An.* 176.2 (*opitulor*), *An.* 88.1 (*non 'quid symbolam dedit?'*), *An.* 146.4 (*ut*).

De Λ nihil probabilius dicere possum nisi quod egomet principio olim uulgato *recentiores deteriores* sine ulla dubitatione adsentio. Nam eius textum funditus contaminatum esse patet, interdum periculose refectum, ibi praesertim ubi archetypi lectio absurda uidebatur uel sensu destituta (exempli gratia confer, lector, *An.* 663.2, *An.* 795). Alibi monstraui nonnullas lectiones a Carnotensi deriuatas in ipsum fontem Λ irrepsisse:[26] plurimi enim sunt errores qui coniungunt K et factionem Λ. Adde autem quod nonnulli extant codices de Λ pendentes – uel singuli uel manipulatim – qui contaminati uidentur cum aliquo Γ stirpis exemplari, K simillimo. Inter quos distingue, lector, manipulum α, cuius textus, quamquam de Λ haustus, ope codicis correctus esse uidetur optimi, nec ulli librorum qui supersunt congruentis, quantum quidem iudicare possum. Manipulum α hi testes componunt quos nunc dicam: codicis Caesenatis Malatestiani S. XXII.5 manus secunda (M^2), codex Vaticanus Ottobon. Lat. 2023 (t), codex Ferrariensis Ariost. 173 NA 6 (f), codex Matritensis Reg. 2 B 4 (h); accedunt ab *An.* 552.3 mutata manu cod. Mediolan. Ambros. T 114 (q) et ab *An.* 608.1 usque ad *An.* 842, mutato transcriptionis exemplari, codex Mediolanensis Ambros. D 70 sup. (s), denique ab *An.* 684.2 usque ad *An.* 904. 2 codex Vaticanus Palat. Lat. 1629 (p).

α M^2 t f h q s p

Nescia non sum quantum periculi sumpserim familiam Λ in stemmatis ordinem disponendo; iuuat autem quasdam saltem

26 C. Cioffi, *op. cit.*, 2015, 356–378.

statuere factiones, in quas Λ diuidi uidetur, ne ignauiae damnanda sim. Suspicio non abest quin maior quaedam librorum congrega- ε tio, siglo ε significata, textum multo magis retractatum quam ceteri praebeat (codice Escorialensi E III 3, hoc est U, excepto). Inter huius factionis sodales fidelissimi et constantissimi Mhf px Mhf px iudicari possunt, sed etiam alii iure numerandi sunt, quamuis uariis adfinitatum mutationibus obnoxii: Dresdensis D c 132 (= D), D Romanus Corsin. 43 E (Q), Londiniensis Bibl. Brit. Burn. 171 (= J)[27] Q J et ii quos supra dixi usque ad uersum 79 (sch. 52.1) cum Θ conspirare, sub μ congregati. De qua, ut ita dicam, subdiuisione cum diffusius hoc loco dicere non liceat, necesse est quo modo e codices inter se consentiant breuius tibi ostendam: *An.* 28.2, *An.* 69.2, *An.* 228.1, *An.* 319.2, *An.* 702.3.

Oportet me nunc explanare qui fiat ut nonnulli codices ad α adscripti etiam in factionem e cadant: nam codices quos α nuncupaui eundem a Λ profectum textum exhibent atque ε, sed raris locis, praesertim in primis tribus *Andriae* actibus, communis progenitoris – α uidelicet – cum optimo aliquo Γ familiae exemplari collati uestigia clarissima seruant: propter hanc contaminationem fit ut hi libri saepe lectiones praebeant meliores quam reliqui qui ab e pendent.

U Discrepant ab e codices Escorialensis E III 3 (= U), Romanus Y N Corsin. 43 G 23 (= Y), Neapolitanus Bibl. Nat. V B 17 (= N), Vatica- G nus Regin. Lat. 1673 (= G), Londiniensis Bibl. Brit. Add. 11906 H z (= H), Vaticanus Lat. 1513 (= z). Quos tamen procul a uero aberit si cunctos dixero esse communi aliquo parente inter se conexos; manifeste autem patet tam inter G et H quam inter N et Y proximam necessitudinem intercedere.

Iuuat tandem exemplum U codicis sumere, qui quanta contaminatione inquinatus sit et quantum ipse ope ingenii saepe emendatus, si uis scire, sufficiat nunc certe dicere textum eius (cum omnis duobus saltem exemplaribus adhibitis constitutus sit, artius utique ab *An.* 716 usque ad 763) cum codice ex K partim descripto, V hoc est V (Vaticanus Reginensis lat. 1496), esse cognatum, cuius praecipuarum lectionum uarietatem in ceteris *Andriae* sectionibus

27 De QJ codicibus, cf. etiam infra.

aut a secunda aut ab ipsa librarii manu post transcriptionem confectam in U constat additam esse.

Ex ueteribus editionibus, quas ex integro examinaui, princeps uel a principe proxima Romana (e^2) errores quosdam tradit qui solum in Θ inueniuntur; plane autem Calphurniana codicem cum α illigatum contulit. De Stephano uexata quaestio pendet, uerene Parisiensis ille philologus egregius uetustum quoddam exemplar adhibuerit, quod in primae editionis praefatione inter alia enumerat. Quos errores uel etiam bonas lectiones cum Γ communes seruet diu sum meditata, nec dubito quin codex praesto fuerit optimus, de quo uelle certius dicere ineptum uidetur: nam Stephanus Marte suo textum adeo retractauit, ut discernendi copiam ex radicibus nobis eripuerit. Postremo de Lindenbrogi editione Reeuianam confirmo sententiam, nullum scilicet codicis deperditi Cuiaciani uestigium in hac comoedia extare.

e^2 *Calph.* *Steph.* *Lind.*

* * *

Quantum ad stemma codicum pertinet, praefatio et explanatio in *Andriae* prologum sectionem a sequenti distinguendam constituunt;[28] testium enim connexiones tam nouae fiunt ut nouum etiam stemma describere necesse sit, cuius id praecipuum est, quod insignis codex K in familiam Maguntinam sine dubio transit, uel, ut expressius dicam, in factionem memoratam δ. Cum uero usque ad prologi schol. 24.7 COGNOSCITE (lemma) duo folia de medio quaternione exciderint, ex hoc libro ante damnum descriptum V pro K initio commentarii restituendo adhiberi licebit, eadem ac diximus ratione cum δ coniunctum.[29] K enim, quod modo significauimus, prologi perpauca scholia seruat (24.7 praeter lemma – 27.3), quae tamen ad adfinitatem eius cum δ confirmandam, ut opinor, sufficiunt.

Inter codices quos alibi e Λ pendere inuenimus, immo e factione ε, QJ cum δ coalescunt, artius cum μ illigati, ita ut eorum consensum signo $δ^1$ indicem. Pauca exempla tibi, lector, satis sufficiant: (praefatio I, 3) *seueri*] *seriue* A: *serti* Θ: *diserti* QJ μ: *parci* U:

$δ^1$

28 Cf. M. D. Reeve, *op. cit.*, 1979, 320.
29 Cf. Zwierlein, *op. cit.*, 1970, 5.

seui N: *serue* D H Y M szx: om. p; (praefatio I, 8) ante *adhibetur* add. *non* QJ μ; (praefatio I, 7) *distincta*] *detincta* Θ: *detenta* QJ μ.

Quaedam praefationis pars etiam in teste Mediolanensi Ambrosiano Λ 53 sup. (S) seruata est, quem ex Cantabrigiensis emeriti magistri sententia[30] iuxta Σ exemplar, utpote fraterna cognatione adstrictum, collocandum esse patet; eorum communem parentem η signaui.

η

Cum in *Andriam* praefationis minima textus portio in S seruetur, et ideo arduum diiudicatu sit utrum S ab Σ profluat an cum eo communem parentem habeat, ueritas tamen in nocte non latere uidetur obscura: patet enim ex apparatu quem ad Euanthii opusculum de fabula Cupaiuolo instruxit codicem S nonnullos errores uitare quibus Σ lapsus sit, tales scilicet quales ingenio sanari nequisse credam.[31]

Ceteri autem libri talibus sunt rationibus sociandi quales iam ad reliquam *Andriae* explanationem restituendam propositum stemma demonstrat.

* * *

De lemmatibus nunc disputare oportet, quae saepe inter se discrepantia proferunt codices manuscripti: cum in subarchetypo Γ Terentiana uerba tantummodo per singulas litteras punctis discretas exprimere soleant, quod praesertim ex A teste maxima fide digno inferri licet, e contrario raro euenit ut in codicibus Σ familiae unicum habeamus lemma uel indubitate traditum uel a multifera lectionum uarietate probabiliter colligendum; nam scribae Λ codicum (nec aliter fit apud Θ, etiamsi rarius) suo quisque studio lemmata retractant, uerba per litteras breuiata plerumque in integrum restituunt uel alia etiam ex Terentio addunt. Hinc facile

30 M. D. Reeve, *op. cit.*, 1979, 323; cf. et Reeve–Rouse, *New Light on the Transmission of Donatus' Commentum Terentii*, Viator 9, 1978, 248–249.

31 Sabbadini coniectura, S ab eo Donato fluxisse, quo Nicolaus de Clamangiis usus est, et id antequam Maguntinus testis in luce produceretur, incertissima (si non falsa) demonstrata est; cf. R. Sabbadini, *op. cit.,* 1914, 210; Reeve–Rouse, *op. cit.*, 1978, 249; D. Cecchetti, *Petrarca, Pietramala, Clamanges*, Parisiis, 1982.

apparet quam difficile sit primam lemmatum formam restituere. Ex quo fit ut haud raro lemma sic scribam ut in Γ fuisse suspicor formatum.

In apparatu, quoad fieri potuit, curam dedi ut te, lector, certiorem facerem quo statu essent lemmata in uniuscuiusque codicum factionis fonte; ubi quid in aliquo lemmate non satis ausa sum statuere (quod plerumque refert ad familiam Θ) uerba quae quisque liber tradit, prolixius fortasse sed diligentiae causa, certo iudicio destituta, transcripsi. Rarissime autem discrepantia tanta est inter lemmatum formas ut omnes ad unam difficile putauerim referre, itaque solos codices laudare deliberaui qui usui fuerant in singulis lemmatibus restituendis (cf. *An.* 33.1).

Ut saepe in commentariis accidit, scholasticorum laboribus genuinae lemmatum lectiones fortuito obscuratae sunt.[32] Adde etiam quod propter compilatoris negligentiam uel cuiusuis naturae errores nonnulla uidentur lemmata perperam esse collocata, aliud scilicet pro alio praemissum, qua re statui ut, quantum liceret et fas esset, ueri similia reponerem pro falsis.

Eo magis integra scholia, cum saepe in ω alio ordine quam Terenti uersus tradita sint, ita disposui ut congruentia facerem.

Quantum ad uerba de auctoribus sumpta, quae easdem fere edendi difficultates obiciunt, idem iudicium ut in lemmatibus sequor.

De rebus orthographicis pauca dicere oportet: cum perparui momenti futurum esset ad scriptionum ineptias animum uertere, eas ex omni fere parte ab apparatu remoui, normam secuta Latinitatis a plerisque comprobatam.

* * *

32 Quibus principiis lemmata scholiorum tractanda sint, praecipue disserunt H. Erbse, *Zur handschriftlichen Überlieferung der Iliasscholien,* Mnemosyne 6, 1953, 1–38; H. van Thiel, *Die Lemmata der Iliasscholien. Zur Systematik und Geschichte*, Zeitschrift für Papyrologie und Epigraphik 79, 1989, 9–26; R. Jakobi, *Grillius*, Monachii – Lipsiae 2005, 10.

Litteras Graecas perpaucis codicibus traditas esse notum est,[33] nec satis in his omnibus ab initio usque ad finem constanter, quarum testes haud dubito quin A, B, M[4] praecipui existimandi sint, minoris uero ponderis t G[2], cum ceteri relicto plerumque spatio uacuo litteras minime Latinas omiserint aut in Latinum alphabetum conuertere temptauerint, corrupta funditus significatione. Singuli e Λ familiae codicibus, iidemque rari, Graeca ex diuinatione orta uerba passim exhibent.[34]

Quamquam forte fortuna extat in Andriam commenti codex A, cuius antiquitas fidem litteris Graecis facit, quas genuinas seruat uel nulla certe coniectura adhibita scriptas, Graeca uestigia perexigua modo supersunt. Cum probabile sit nonnullas uoces ad rhetorum et grammaticorum sermonem pertinentes, quae nunc ueste indutae sunt Latina, antea Graecis litteris scriptas fuisse, nullo tamen librorum auxilio, textum archetypi, quantum potui, restituere contenta fui. In editione Parisiensi curam dedit Stephanus ut fere omnium rhetoricarum definitionum uocabula Graece promeret, quem iis tantum locis me confiteor secutam, ubi mihi, praeeunte Wessner, iustum uisum est.[35]

* * *

Aeli Donati ipsissima uerba a posterioribus additamentis separare uel etiam compilatoris operam[36] discernere editorem solo iudicio posse minime ueri simile uidetur. Hoc autem haud impedit quin quaedam aut uerba aut etiam sententiae tamquam ansas editori dent ut dubitet an Donato tribuenda sint, praesertim quae interposita esse uideantur aut scholiis omnino conclusis haerentia

33 Omnino quod ad Graecarum litterarum corruptelas refert, quibus modis uiisque fiant, tum ad alia plura, uide praecipue L. Holtz, *Transcription et déformations de la terminologie grammaticale grecque dans la tradition manuscrite latine*, in: L. Basset, F. Biville, B. Colombat, P. Swiggers, A. Wouter, *Bilinguisme et terminologie grammaticale gréco-latine*, Parisiis – Dudleiae (Orbis Supplementa) 2007, 37–56.

34 De fonte, quem M[4] adhibuit ut Graeca suppleret, uide C. Cioffi, *op. cit.*, 2012, 171–173.

35 De his et his similibus rebus fusius in prolegomenis dicam.

36 Cf. Wessner, *op. cit.*, 1902, XLVI.

quasi additamenta peregrina. Qua re P. Wessner dubitationes suas non reticuit et, ne iustis quidem argumentis suspiciose dicta funditus delere ausus, inclinatis litteris ea scripsit ut commonefaceret lectorem. Quo adhibito artificio, lineolis quoque praemissis et postpositis quae interiecta esse censuerat distinxit, illa scilicet quae unum scholium in plures partes disiecissent.[37] His de causis saepe in dubium uenit an quicquid tamquam interpositum inclinatis litteris Wessner obsignasset iure aduenticium esset existimandum. Quapropter, quamuis minus ego quam ille in expungendo parca, solas lineolas plerumque adhibui praeterquam ubi textus uacillare uidebatur incertus uel obscurus: quos locos litteris inclinatis significaui. Si quae adnotationes incommode interpositae et a scholiorum textu definito alienae occurrebant, opinata sum librarios uel compilatorem peregrina uerba perperam transposuisse potius quam de falso confixisse.

* * *

Nunc est huius editionis ratio reddenda. Codices fere triginta manu scriptos quattuorque impressos ueteres adhibui (editiones principem, Calphurni, Stephani, Lindenbrogi).

Factionis μ omnes sodales usque ad *An.* 300.4 collati sunt, ex quibus postea tantum O et a selegi. Actus primi scaenam primam etiam in codice Salmanticensi 78 (= Z) inspexi: cum uero multam cum Θ familia affinitatem exhibeat, prae crebra interpolatione uix usui est editori. Eiusdem actus scaenam eandem in codice quoque Vaticanum Urbin. Lat. 354 (= u) exploraui hoc proposito ut comprobarem an ab editione Calphurniana eius textus originem duceret.

Z

u

Ex quattuor testibus, qui Aeli Donati Commentum quasi Terentiani textus coronam in marginibus transcriptum habent, duo (Leidensis ac Vindobonensis Scottensis 212) cum Donatianas notulas raro seruarent easque recentiori materiae interpositas, separatim, id est in Prolegomenis, transcripsi.

Leid., Scot. 212

* * *

37 Cf. Wessner, *op. cit.*, 1902, XLVII.

Apparatus in tres diuisus est partes, quarum prima docet qui quoquo loco libri extent siue singuli siue per affinitates sociati commemorandi; ibidem te certiorem, lector, feci de scholiis uel scholiorum sectionibus, quae omittuntur a scriba codicis P, quoad Donatiana exhibet; postremo in eadem parte item excerpta Donatiana e codice Victoriano supra dicto exscripsi et ex Bernensis 276 in Papiam glossis, quarum auctoris nomen nuper patuit,[38] cum perraro in utroque scholia Donati inueniantur; in secunda colliguntur loci similes adfinesque; in tertia codicum uariae lectiones continentur.

Ad ipsas codicum lectiones enumerandas, sic ut in apparatum referuntur, post laboriosam cogitationem perueni, hoc consilio adducta ut, codicum familiis rite recensis, quidnam unusquisque paterfamilias scripsisset elicerem. Nam ad struendum apparatum duo mihi proposita fuerunt, te uidelicet certiorem facere de uariarum lectionum congerie, ut copia daretur probandi textum, simulque efficere ne huiusmodi apparatus ex lectionum nimia uarietate magnaque mole laboraret. Quam saepe hoc propositum tenere difficile fuerit, equidem fateor, praesertim quantum ad Σ refert.

Quocirca, si quando indiciis carens unam tantum scribere nequiui lectionem quam progenitori Λ familiae certa persuasione tribuerem, duas uel plures in apparatum recepi nota '*codd.* Λ' adiuncta. Cum autem Θ exemplaris mobilis esset facies cumque C ante correctionem pristinum illius statum uel certe antiquiorem seruare uideretur, ipsius librarii scripturas curiose adnotaui orthographicis uel singularibus erroribus omissis; eadem ratione iis locis, ubi codices duas lectiones ab eodem Θ distincte profectas exhiberent, neutram illarum tacere uolui.

Cum autem textum statuere quem communis progenitor familiae Γ habuerit haud nimis arduum uideatur, quoniam ex ueteribus qui supersunt codicibus maior semper nobis copia praesto est, perpaucis coniecturis uel interpolationibus incommodantibus, te tamen admonere uelim ne a uero abducaris. Nam optimus codex P commentarium, ut ita dicam, non continuum tradit et, quamquam

38 De quo teste cf. M. D. Reeve, *op. cit.*, Viator 9, 1978, 235–249; E. Stagni, *Testi latini e biblioteche tra Parigi e la valle della Loira (secoli XII–XIII)*, a cura di S. Mazzoni Peruzzi, Florentiae 2006, 221–287.

ibi scholia pleraque seruata sunt eaque saepe decurtata, multa nihilominus desunt. Quam ob rem usque ad *Andriam* 321.1 subarchetypum Γ saepe ex A et K solis restituendum est, quod non nego mihi angustias quasdam parasse, praesertim ubi archetypi textus titubare uidebatur.

Restat ut quaedam dicam de codice B qui nobis auxilio est ab *An.* 320.3. Sint sane ista, uerumtamen commonere hoc oportet huius testis scribam multa suo Marte retractauisse, nonnulla etiam suppressisse, breuiorem ut faceret explanationem. Quam propter causam tantummodo ex A et K lectiones communis progenitoris deducere haud raro debui.

Noli igitur mirari, lector, quaeso si horum saltem codicum lectiones in apparatu singulas quotienscumque oportebat laudare malui quam te de textu tantum, quem Γ seruasse suspicata essem, summatim facere certiorem. Editoris enim, nisi fallor, hoc etiam est apparatum parare, qui non soli textui seruiat officio famulari, sed auctoritate sua ipse uigeat et altiorem traditionis notitiam prodat.

Cum subdoli instar hostis ac uere perfidi contaminatio ubiuis serpat, nobis hoc solum est praesidium codices fide digniores sicut socios sinceritate probatissimos nullo modo despicere.

* * *

Quibus meas gratias referre debeam, omnes nominare Herculeus esset labor.

Ut poeta quidam ab Ioue, ego ab Rolando Ferri incipiendum puto, qui primus animum meum ad Aelium Donatum edendum uertit cuiusque praesidio multos Commenti locos emendaui. Pluribus consiliis adiuta gratias infinitas Rainero Jakobi reddendas libenter fateor, qui Donati exegeticae artis peritissimus magnum mihi auxilium tulit: quantum temporis Commenti uerbis saepe obscuris ille mecum impenderit, humana lingua quamuis gratissima dici non potest. Socios eius Halensis colloqui Latini auditores laudibus ascribam, qui saepe Donateas et Terentianas quaestiones copiam disputandi mihi fecerunt.

Iuliae Ammannati merita enumerare hoc opus hic labor est: quanta cura diligentiaque me philologicam artem docuerit et mihi


intra multos Donatiani labyrinthi errores uiam aperuerit, desunt uerba quibus expromam.

Sequitur deinde Ernestus Stagni, qui semper ultra officium suum discipulis operam praestat: si essent eius consilia auro remuneranda, pretium ne a rege quidem solui posset.


Ex iis, qui tempore sapientiaque mea scripta iuuere, Michaelum D. Reeve et Marcum Deufert praeterire silentio non licet quamquam grates persoluere dignas non opis est meae. Denique Ioannem Blasium Conte tacere nequeo: quae ab eo Pisis in Schola Normali Superiore Latinae philologiae praecepta didicerim miscendo utile dulci, εἰς ἀεί memoria teneam.[39]


C. C.
Scribebam Pisis Halisque Saxonum
anno MMXV


39 Magnae amicitiae uinculis adstricti paribus gratibus celebrandi sunt: Anna Zago, Arianna Gullo, Ilaria Morresi, Silvia di Vincenzo, Stefano Poletti, Tommaso Ricchieri.



* Testes Q et J post *An.* praef. III 6 (*diuiserunt*) ad factionem Λ transeunt


An. 28.1 – An. 320.3
IV
Donatus
VIII
Ω
IX
ω
Γ
X
P
XI
A
Σ
XV
K
δ
Θ
>
Θ2
μ
C
C2TFq
Λ
ε
α
M2
β
XV
Scot. 212
Leid.
MpQJsxD,
(ab An. 75.1) Omna
z
U
GH
NY


An. 320.3 usque ad finem *Andriae*



CONSPECTVS SIGLORVM

ω fons omnium qui exstant codicum

Γ fons codicum ABPK

A Parisinus lat. 7920, s. XI
A² codex A ab eadem manu correctus
P. Daniel recens codicis A corrector, cuius manus facile agnoscitur

B Vaticanus Reginensis lat. 1595, s. XIII (incipit ab *An.* 320.3)
B² codex B (saepe inter scribendum) ab eadem manu correptus

P Parisinus lat. 7899, s. X (Donatiana scholia ab *An.* praef. 2 (*Pasibulae*) incipiunt et extant usque ad *An.* 300)
P² codex P correctus

K Vaticanus Chisianus H VII 240, s. XV (ab sch. prologi 24.8 usque ad finem)
K² codex K ab eadem manu, ut uidi, correctus

η fons codicum SΣ

S Mediolanensis Ambrosianus Λ 53 sup. (extat usque ad praef. I 9), s. XV

Σ fons codicum δΛ

δ fons codicum (K) V Θ δ¹

V Vaticanus Reginensis lat. 1496, s. XV (ante initium codicis K adduxi, in reliquis Commenti partibus, ubi extans antigraphum K ad Γ transit, coniecturas tantum laudaui)

Θ fons codicum CFTq

C Oxoniensis Bodleianus Canon. Lat. 95, s. XV
C² fortasse eadem manus atque C, quae post aliquantum temporis codicem correxit
Cˣ manus recentior
F Florentinus Marucellianus C 224, s. XV
F² codex F post correctionem
T Vaticanus lat. 2905, s. XV

q	Mediolanensis Ambrosianus T 114 sup., s. XV (ab *An.* 552.3 ad α transit)
δ¹	fons codicum QJ (usque ad finem praefationis III 6 *diuiserunt*) μ (usque ad *An.* 75.1)
Q	Romanus Corsin. 43 E 28, s. XV
J	Londiniensis Bibl. Brit. Burn. 171, s. XV
μ	fons codicum Oamn
O	Oxoniensis Lincoln. lat. 45, s. XV
a	Florentinus Laurentianus 53.9, s. XV
m	Florentinus Laurentianus 53.8, s. XV
n	Vaticanus Ottobon. lat. 2070, s. XV
Λ	fons codicum (a)DfGHhM(m)N(n)(O)pstUxY(QJ)z
D	Dresdensis D c 132, s. XV
f	Ferrariensis Ariost. 173 N A 6, s. XV
G	Vaticanus Regin. lat. 1673, s. XV
H	Londiniensis Bibl. Brit. Add. 11906, s. XV
h	Matritensis Reg. 2 B 4, s. XV/XVI
Q	Romanus Corsin. 43 E 28, s. XV
J	Londiniensis Bibl. Brit. Burn. 171, s. XV
M	Caesenas Malatestianus S. XXII.5, s. XV3/4
M^2	manus quae magnam seriem correctionum fecit fonte **α** usa
M^4	manus quae multa graeca verba suppleuit
N	Neapolitanus V B 17, s. XV
p	Vaticanus Palat. lat. 1629 (a. 1474)
s	Mediolanensis Ambrosianus D 70 sup., s. XV
t	Vaticanus Ottobon. lat. 2023 s. XV
U	Escorialensis E III 3, s. XV
x	Vaticanus Palat. lat. 1630, s. XV
Y	Romanus Corsin. 43 G 23, s. XV
z	Vaticanus lat. 1513, s. XV
α	fons codicum M^2fh (q)(s)(t)
β	fons codicum fh (q)(s)(t)

Hic illic laudantur codices, qui diffusius in Prolegomenis transcripti sunt:

Leid.	Leidensis B. P. L. 191 BF, s. XV
Scot. 212	Scotensis-Vindobonensis 212 (ex 218), s. XV
Par.	Parisinus lat. 16235 (*An.* 28–51), s. X

Testes qui saltem in prima apparatus linea memorati sunt:

cod. Vict. (D)	codex Victorianus Laur. XXXVIII 24
Bern. 276	glossae quae in codice Bernensi 276 inueniuntur Guidonis manui attribuenda. Cuius testis noua materies, asterisco indicata, ab E. Stagni mecum communicata est.

Editiones ueteres quae semper collatae sunt:

e^{2}	editio princeps Romana 1472
Calph.	editio Calphurnii 1477
Steph.	editio Stephani 1529^{1}, 1541^{2}
Lind.	editio Lindenbrogii 1623
	Gron.(uius) *apud.* Lind. = Gronouii lectiones, quae in Lindenbrogii editione (1623) adnotatae sunt.

Editiones Terenti ueteres, quae passim collatae sunt:

mediol.	editio A. Zaroti, Mediolani 1476
Haemmerlin	editio P. Marsi et P. Malleoli, Argentorati 1519
Muretus	editio M. A. Mureti, Venetiis 1555
Westerh.	editio H. Westerhouii, Hagae–Comitum 1726
Zeunius	editio F. Lindenbrogii et M. Io. Car. Zeunii, Lipsiae 1774
Klotz	editio R. Klotzii, Lipsiae 1838
Umpfenbach	editio F. Umpfenbachii, Berolini 1870

Notae criticae:

***	rasurae signum
†	locus desperatus

Abbreuiationes, quae plerumque in apparatu meo in usu fuerunt:

add.	addidit
al.	alia
codd. Λ	pars codd. Λ
corr.	correxit
del.	deleuit
edd. uett.	editores ueteres
eras.	erasuit
exhib.	exhibet
ex Ter.	uerba suppleta ex Terenti textu
exp.	expunxit
in adn.	in adnotationibus
in app.	in apparatu
in ras.	in rasura
in tex.	in textu
incert.	incertum
lac. sign.	lacunam signauit

lac. susp.	lacunam suspexit
lac. stat.	lacunam statuit
om.	omisit
O.L.	omisit lemma
obliq. litt.	obliquis litteris
rest.	restituit
scrip.	scripsit
secl.	seclusit
sect.	sectio(nem)
s. l.	supra lineam
sp. praep.	spatio praeposito
sp. post.	spatio postposito
sp. rel.	spatio relicto
suppl.	suppleuit
tempt.	temptauit
transp.	transposuit

EDITIONES AVCTORVM ET OPERVM QVI IN APPARATV LAVDANTVR

Apul. *flor.*	Apuleii Florida, ed. R. Helm, Lipsiae 1959.
[Acro]	Pseudoacronis Scholia in Horatium uetustiora, rec. O. Keller, Lipsiae 1902.
Agroec. *orth.*	Agroecii De orthographia, ed. M. Pugliarello, Mediolani 1978.
Alc. *de orth.*	Alcuini De orthographia, ed. S. Bruni, Florentiae 1997.
Ambr. *epist.*	Ambrosii Mediolanensis, Epistulae, CSEL 82,2, ed. M. Zelzer, Vindobonae 1990 (= CSEL 82/2).
Aquila reth. *de fig.*	Aquilae Romani De figuris, ed. M. Elice, Hildesiae [etc.] 2007.
Ar. Byz.	Aristophanis Byzantii Fragmenta, ed. W. J. Slater, Berloni – Noui Eboraci 1986.
Arist. *poet.*	Aristotelis De arte poetica, ed. R. Kassel, Oxonii 1964.
ars Ambros.	Ars 'Ambrosiana'. Commentum anonymum in Donati partes maiores, ed. B. Löfstedt, Turnholti 1982 (= CCSL 133C).
ars Bobiensis	La grammatica dell'Anonymus Bobiensis (= GL I 533–565), ed. M. De Nonno, Romae 1982.
ars Laures.	Ars Laureshamensis, Expositio in Donatum Maiorem, ed. B. Löfstedt, Turnholti 1977 (= CCCM XL A).
Arus. *exem. eloc.*	Arusiani Messii Exempla elocutionum: introduzione, testo critico e note a cura di A. Di Stefano, Hildesiae 2011.
Ascon.	Q. Asconii Pedianii Orationum Ciceronis quinque enarratio (quae exstant), ed. A. Kiessling et R. Schoell, Berolini 1875.
[Ascon.]	Commentarii uel scholia Ciceronis orationum (tradita una cum Asconio), ed. T. Stangl, Vindobonae 1912.
Aug. *de ciu.*	Aurelii Augustini De ciuitate dei I–X, ed. D. Dombart, A. Kalb, Turnholti 2003 (= CCSL 47–48).
Aug. *enarr.*	Aurelii Augustini Enarrationes in Psalmos 110–118, ed. F. Gori, Berolini 2015 (= CSEL 95/2).
Aug. *in Hept.*	Aurelii Augustini Quaestiones in Heptateuchum, Libri VII, ed. J. Fraipont, Turnholti 1958 (= CCSL 33).
Aug. *gramm.*	Abrégé de la Grammaire de Saint Augustin, ed. G. Bonnet, Parisiis 2013.
[Aug.] *regul.*	Ps.-Aurelii Augustini Regulae, a cura di Luca Martorelli, Hildesiae 2011.
[Aug.] *rhet.*	Ps.-Augustini De rhetorica, ed. R. Giomini, Stud.Lat.It. 7, 1990, 7–82.

Aug. *serm.*	Augustini Sermones de nouo testamento (51–70a), ed. P.-P. Vebracken, Turnholti 2008 (= CCSL 41A).
Beda *orth.*	Bedae Venerabilis De orthographia, ed. C. W. Jones, Turnholti 1975 (= CCSL 123 A).
Boethius *in top. Cic.*	Boethii In Ciceronis topica, in: Ciceronis Opera, ed. J. C. Orelli et G. Baiter, Turici 1833.
Caecil. *com.*	Caecilius Statius, I frammenti, cur. T. Guardì, Panormi 1974.
Cassiod. *inst.*	Cassiodori Senatoris Institutiones, ed. by R. A. B. Mynors, Oxonii 1961^{2}.
Cassiod. *orth.*	Cassiodori De orthographia, a cura di P. Stoppacci, Florentiae 2010.
Cassiod. *psalm.*	Cassiodori Expositio psalmorum, ed. M. Adriaen, Turnhout 1958 (= CCSL 97–98); ed. P. Stoppacci, Florentiae 2012 [psalm. 1].
Catull.	Catulli Veronensis Liber, ed. W. Eisenhut, Lipsiae 1983.
CGL	Corpus glossariorum latinorum, ed. G. Goetz, 7 uol., Lipsiae 1888–1923.
Charis. *ars*	Charisii Ars grammatica, ed. C. Barwick, Lipsiae 1964^{2}.
Cled. *ars*	Ars Cledonii Romani Senatoris Constantinopolitani grammatici: nuova edizione critica, ed. C. Bernetti, Romae 2012 (diss., cf. http://dspace-roma3.caspur.it/handle/2307/4121).
Cic. *Deiot.*	M. Tullii Ciceronis Oratio pro M. Marcello, Pro Q. Ligario, Pro Rege Deiotaro, rec. A. Klotz, Lipsiae 1933^{2}.
Cic. *diu. in Caec.*	M. Tullii Ciceronis Diuinatio in Q. Caecilum, ed. W. Peterson, Oxonii 1917^{2}.
Cic. *Catil.*	M. Tullii Ciceronis Orationes in L. Catilinam, ed. T. Maslowski, Monachii – Lipsiae 2003.
Cic. *de orat.*	M. Tullii Ciceronis De oratore, ed. K. Kumaniecki, Lipsiae 1969.
Cic. *inu.*	M. Tullii Ciceronis Rhetorici libri duo de inuentione, ed. G. Achard, Parisiis^{2} 2002.
Cic. *Lael.*	M. Tullii Ciceronis De republica – Laelius de amicitia, recogn. breuique adnotatione critica instruxit J. G. F. Powell, Oxonii 2006.
Cic. *Lig.*	u. Cic. *Deiot.*
Cic. *Marcell.*	u. Cic. *Deiot.*
Cic. *Mur.*	M. Tullii Ciceronis Oratio pro L. Murena, ed. H. Kasten, Lipsiae 1972^{3}.
Cic. *nat. deor.*	M. Tullii Ciceronis De natura deorum, ed. W. Ax, Stutgardiae 1980.
Cic. *orat.*	M. Tullii Ciceronis Orator, ed. H. Westman, Lipsiae 1980.

Cic. *S. Rosc.*	M. Tullii Ciceronis Pro Sex. Roscio Amerino oratio, ed. H. Kasten, Lipsiae 1968.
Cic. *top.*	M. Tullii Ciceronis Topica, ed. T. Reinhardt, Oxonii 2003.
Cic. *Verr.*	M. Tullii Ciceronis Orationes III, Diuinatio in Q. Caecilium, ed. W. Peterson, Oxonii 1917[2].
Comm. Bern. Lucan.	M. Annaei Lucani Commenta Bernensia, ed. H. Usener, Lipsiae 1869.
Comm. Bruns.	P. Terentii Afri comoediae sex. textum ad fidem codicis Halensis ... edidit ... scholia a uulgatis diuersa ex eodem codice descripsit ..., Halis Saxonum 1811.
Comm. Mon.	Das commentum Monacense zu den Komödien des Terenz. Eine Erstedition des Kommentars zu ‚Andria', ‚Heautontimorumenos' und ‚Phormio', ed. F. Schorsch, Tubingae 2011.
Conr. *fab.*	Conradi de Mure Fabularius, cura et studio T. Van de Loo, Turnholti 2006 (= CCCM 210).
Consent. *de bar. et met.*	Consentii Ars de barbarismis et metaplasmis, édition nouvelle suivie d'un fragment inédit de Victorinus de soloecismo et barbarismo par M. Niedermann, Neoburgi 1937.
Cur. *epit. Don.*	Iacobi Curuli Epitoma Donati in Terentium, a cura di G. Germano, Neapoli 1987.
Don. *ars mai.*	Aeli Donati Ars maior, in: L. Holtz, Donat et la tradition de l'enseignement grammatical. Étude sur l'Ars Donati et sa diffusion (IVe–IXe siècle) et édition critique, Parisiis 1981.
Don. ort.	Donati ortigraphi Ars grammatica, ed. J. Chittenden, Turnholti 1982 (= CCCM 40D).
Dosith. *gramm.*	Dositheus, Grammaire Latine, ed. G. Bonnet, Parisiis 2005.
Enn. *ann.*	Q. Ennii Annalium fragmenta, ed. O. Skutsch, Oxonii 1985.
Euanth. *de com.*	Euanthi De fabula, ed. G. Cupaiuolo, Neapoli 1992[2].
Fortun.	Consulti Fortunatiani Ars rhetorica, ed. L. Calboli Montefusco, Bononiae 1979.
Frg. Bob. *de nom. et pron.*	Fragmentum Bobiense de nomine et pronomine: Tre testi grammaticali bobbiesi, a cura di M. Passalacqua, Romae 1984.
Frg. Bob. *de nom.*	Il Fragmentum Bobiense de nomine, ed. S. Mariotti, in: Scritti di filologia classica, a cura di S. Mariotti, Romae 2000, 313–341.
FPL[4]	Fragmenta poetarum Latinorum, ed. J. Blänsdorf, Berolini 2011[4].

Gaius, *inst.*	Gaius, Institutes, texte établi et traduit par J. Reinach, Parisiis 1950.
GL	Grammatici Latini, ed. H. Keil, Lipsiae 1855–1880.
Gloss.	Glossaria Latina iussu Academiae Britannicae edita, ed. W. M. Lindsay, Parisiis 1926–1931.
Gell.	A. Gelli Noctes Atticae, ed. P.K. Marshall, Oxonii 1990^{2}.
Grill.	Grilli Commentum in Ciceronis Rhetorica, ed. R. Jakobi, Monachii – Lipsiae 2002.
Her.	Rhetorica ad Herennium, ed. F. Marx, Lipsiae 1894.
Hier. *quaest. hebr. in gen.*	Hieronymi Liber quaestionum hebraicarum in Genesim, ed. P. de Lagarde, Turnholti 1959 (= CCSL 72).
Hier. *adu. Rufin.*	Contra Rufinum, ed. P. Lardet, Turnholti 1982 (= CCSL 79).
Hor.	Q. Horatii Flacci Opera, ed. D. R. Shackleton Bailey, Berolini – Noui Eboraci 2001^{4}.
Hsch.	Hesychii Alexandrini Lexicon, rec. et emend. K. Latte, uol. 1, Hauniae 1953.
Hyperdonat	Hyperdonat, édition électronique de commentaires anciens, Donat, Commentaire des comédies de Térence, ed. B. Bureau – C. Nicolas, Lugduni 1996–.
Isid. *diff.* 1	Isidoro de Sevilla, Diferencias libro I, introd., ed. crítica, trad. y notas por C. Codoñer, Parisiis 1992.
Isid. *diff.* 2	Isidori Hispalensis Liber differentiarum [II], ed. M. A. A. Sanz, Turnholti 2006 (= CCSL 111 A).
Isid. *orig.*	Isidori Hispalensis Etymologiae uel origines, W. M. Lindsay, Oxonii 1911.
Isid. *orig.* II	Isidori Hispalensis Etymologiae II, ed. P. K. Marshall, Parisiis 1983.
Iul. Tol. *ars*	Iuliani Toletani Ars grammatica, poetica, rhetorica, ed. M. A. H. Maestre Yenes, Toleti 1973.
Lab. *mim.*	Decimus Laberius, The Fragments, ed. Costas Panayotakis, Cantabrigiae 2010.
Lact. inst.	Lactantii Diuinarum Institutionum Libri septem, Fasc. 4, edd. E. Heck et A. Wlosok, Berolini et Bostoniae 2011.
Lucil. *frg.*	Lucilius. Satires, ed. F. Charpin, Parisiis 1978–1992.
Macr. *exc.*	Macrobii Theodosii De uerborum Graeci et Latini differentiis uel societatibus excerpta, a cura di P. de Paolis, Uruini 1990.
Macr. *Sat.*	Macrobii Ambrosii Theodosii Saturnalia, recognouit breuique adnotatione critica instruxit R. A. Kaster, Oxonii 2011.
Macr. *somn.*	Macrobii Ambrosii Theodosii Commentarii in Somnium Scipionis, ed. J. Willis, Lipsiae 1963, 1970^{2}; ed. corr. 1994.

Mar. Victor.	C. Marii Victorini Ars grammatica, ed. I. Mariotti, Florentiae 1967.
Mar. Victor. *comm.*	C. Marii Victorini Commenta in Ciceronis Rhetorica, T. Riesenweber, Lipsiae 2013; *ibid.* Anonymus de attributis et personis [*Anonym. de attr. et pers.*]
Mart. Cap.	Martianus Capella, ed. J. Willis, Lipsiae 1983.
Men. *Sam.*	Menandri Reliquiae selectae, ed. F. H. Sandbach, Oxonii 1990[2].
PCG	Menandri Testimonia et fragmenta, in: Poetae comici Graeci, 6/2, edd. R. Kassel et C. Austin, Berolini – Noui Eboraci 1998.
Mur.	Murethach, In Donati artem maiorem, ed. L. Holtz, Turnholti 1977 (= CCCM XL).
Nigid. *frg.*	P. Nigidii Figuli Operum reliquiae, ed. A. Swoboda, Vindobonae 1889 (Amstelodami 1964[2]).
Non.	Nonii Marcelli De compendiosa doctrina, ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1913; ed. R. Mazzacane, Florentiae 2014 [I–III]; ed. P. Gatti – E. Saluadori, Florentiae 2014 [V–XX].
Pap. *Corp.*	Corpus Papyrorum Latinarum, ed. R. Cauenaile, Visbadae 1958.
Paul. Fest./Fest.	Sexti Pompei Festi Epitoma de uerborum significatu Verrii Flacci (fragmenta quae extant), ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1913.
Paul. *dig.*	Fragmenta in digestis aliisue collectionibus seruata, ed. O. Lenel, Lipsiae 1889.
Paus.	Graeciae descriptio, uol. 1, ed. M. H. Rocha-Pereira, Lipsiae 1973.
Pers.	A. Persii Flacci Saturarum Liber, ed. W. Kissel, Berolini – Noui Eboraci 2007.
Phoc. *de nom. et uer.*	Focae De nomine et uerbo, introduzione, testo e commento a cura di F. Casaceli, Neapoli 1974.
Plaut.	T. M. Plauti comoediae, rec. W. M. Lindsay, Oxonii 1904–1905.
Plin. *dub. serm.*	Plinius, Il dubius sermo di Plinio, a cura di A. Della Casa, Genuae 1969.
Plin. *nat.*	Pline l'Ancien, Histoire naturelle. Livre IV, ed. A. Silberman, H. Zehnacker, Parisiis 2015; Id., ibid. Livre VII, ed. R. Schilling, Parisiis 1977; Id., ibid. Livre IX, ed. E. de Saint-Denis, Parisiis 1955; Id., ibid. Livre XVI, ed. J. André, Parisiis 1962.
Plat. *Gorg.*	Platonis Gorgias, in: Id. Opera, uol. 7, ed. J. Burnet, Oxonii 1963.

Plut. *Cat. mai.*	Plutarchi Cato maior, in: Id. Vitae parallelae, uol. 1, fasc. 1, ed. C. Lindskog, K. Ziegler, H. Gärtner, Lipsiae 2013.
Plut. *De stoic. repug.*	Plutarchi De stoicorum repugnantiis, in: Id. Moralia, uol. 6/2, recensuit et emendauit M. Pohlenz, Lipsiae 1952.
Poll.	Pollucis Onomasticon, ed. E. Bethe, Lipsiae 1900–1937.
Porph.	Pomponi Porphyrionis Commentum in Horatium Flaccum, rec. A. Holder, Oeniponte 1894.
Prisc. *ars* XVIII	Prisciani Caesariensis Ars, Liber XVIII, pars altera 1, introduzione, testo critico e indici a cura di Michela Rosellini, Hildesiae 2015.
Prisc. *opusc.*	Prisciani Caesariensis Opuscula, uol. 1 (De figuris numerorum, de metris Terentii, praeexercitamina), ed. M. Passalacqua, Romae 1987; ead. Opuscula, uol. 2 (Institutio de nomine et pronomine et verbo, Partitiones duodecim versuum Aeneidos principalium), Romae 1999.
Prob.	M. Valeri Probi Beryti fragmenta, ed. J. Velaza, Barcinonae 2005 (cf. et De M. Valerii Probi Berytii uita et scriptis, ed. J. Aistermann, Ienae 1909).
Prob. *app.*	Appendix Probi (GL IV 193–204), ed. S. Asperti e M. Passalacqua, Florentiae 2014.
